



DIFFICULTATES,

SEU QUÆSITA PROPOSITA

A R. P. D. D. EPISCOPO QUEBECENSI,

Sacrae Congregationi, de propagandâ fide, & ab eâdem remissa ad Sacram Congregationem Sancti Officii, à quâ maturè omnibus examinatis ac perpensis, fuerunt resoluta, prout infra.

PRIMA DIFFICULTAS.

Quæritur, utrum baptizare liceat Infidelium, seu Barbarorum liberos, qui rationis usum nondum attigerunt, præsertim parvulos Alkonkinorum, aliorumque Barbarorum, qui licet baptisati, nullum ferè nostræ Religionis actum exercent; sed per nemora continuò vagantur, superstitiones pristinas sequuntur, quorumque liberi, cùm adoleverint, imitatores fiunt?

RESOLUTIO.

Non licere, si sint filii Infidelium, & in potestate eorum relinquiendi; secluso tamen mortis imminentis periculo.

Licere verò, si sint filii Barbarorum baptisatorum; curandum tamen per Missionarios, ac per ipsosmet ipsorum parentes, ut cum ad annos discretionis pervenerint, à se, vel ab aliis instruuntur, præsertim si in illis Regionibus non prævideatur in promptu suo tempore adfuturos Ministros Evangelicos, qui in hoc pa-